

Ni puer, occludens iam praeceptoribus aures,
Balbutire cito mallet, quam dicere fero!

Non est noxa leuis, quam intempestiua docendi
Prurigo castris solet haec inferre Mineruae;
Atq; habet, vnde queat sapiens moderatio linguae,
Ni mens laeta foret, vitae rationibus esse
Sancta etiam reliquis. Balbus, mercator apertae
Naris, odoratur longinquo a littore lucrum,
Vndique spes tuta est, quo tandem, dic, ea fato
Cessit in exitium Balbo? deceptus odore
Forsitan est falso? Non est; aut aequoris vndis
Mersa procellosi, aut piratis capta carina?
Non magis. Incolumis rediit, sed vana lucelli.
Nam male continuit sub pectore quod bene Balbus
Inuenit; quippe ad coenam conuiua vocatus,
Spumantes inter calices effundit amico
Consilium, vulpes damnare quod ille videtur,
Acrius insistit cernens obstacula Balbus,
Extricat nodos, obscura illustrat, et omnem
Ordine rem parua temulentus pandit in hora,
Quam plus dimidio concepit sobrius anno.
Hinc illae lacrumae: nam dum securus in aurem
Stertit postridie vino somnoque sepultus,
Iam, cui crediderat causam, vigilantior hospes
Pandit vela Notis, volitans super aequora lucrum
Versus monstratum; sic nunc habet ille resecti
Consilii fructus, inuenti Balbus honorem;
Quoque magis videat, quid sit non posse tacere,
Risum vicini, quem garrulitate beaui.